



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-58  
SIGNAT. clvccccxiii.



I. N. J.

## Audiendas Laudationes

funebres

*Dominos Patronos, Inspectores atq; omnes in uni-*  
*versum egregiè cordatos prolixo studio*  
*invitat*

Scholæ Torg. Rector.

M. JACOBUS Reichmann!

Facult. Philos. Witteb.

ἀπό τῆς Adj.

---

 WITTEBERGÆ,  
 Literis JOHANNIS HAKEN.

A. M. J.  
A laudibus Landiones

...  
...  
...  
...  
...

Schola ...  
M. JACOBUS ...  
Faint ...

---

Licentis JOHANNIS HAREN





Uti semel insolitus Saxoniam, Patriam dulcissimam affligere luctus coepit, tantum abest, ut procul hinc maturius faceßere, aut in uno funere sibi finem imponi velit, ut multò vehementius incendatur, tantoque majores vires atq; augmenta sumat identidem, quanto periculosius est, priori vulnere nondum benè obducto, recentes in corpore contrahere cicatrices, quibus & aliæ, quæ fermè coisse videbantur, stillare denuò ac recrudescere animadvertas. Altum satis ac grave admodum erat illud vulnus, quo, Patris Patriæ JOHANNIS GEORGII I. fato, opprimebamur universi, nec jam tum eluximus casum, neq; facile unquam ex animo uniuscujusq; nostrum discedet illius Optimi & Maximi Electoris memoria. Stetisse hinc cladem, nec transversum unguem porrò grassaturam quis non optarit, cum alterum Phœnicem, JOHANNEM GEORGIUM II. Principem & Electorem clementissimum è beatissimi parentis, divini Herois cineribus redivivum adesse præstò cerneremus lætabundi cum vocum undiquaq; gratulantium applausus in singulorum auribus mirificè personarent, nò sine secundo omine, fore, ut pullæ vestes, & quicquid a terriborum pannorum hætenus circū circa suspensum in se oculorum aciem converterat, ad ingens annorum spatium damnaretur. Verum præter omnem spem atræ ac luctuosæ, funestæ atque tristes è vestigio sequuntur præficæ, quæ revocant ad nova ostentamenta doloris, quæ subitò

Ad querimonias, suspiria, lacrymasq; redeundum signifi-  
cant; quæ templa, cathedras, foraque lugubri habitu indu-  
enda edicta volunt, adjecto horrendum planè præconis  
indicio: *Exequias ire necesse est. Serenissima ac Celsissima  
Princeps ac Domina, Domina MAGDALENA SIBYLLA ex  
Marchionum Brandeburgensium, Ducumq; Prusie prosapia, Di-  
vi JOHANNIS GEORGII I. Saxonie, Juliaci, Clivia ac Mon-  
tium Ducis ac Electoris vidua decessit, solempni funere efferen-  
da, persolutisq; justis ritè jamjam condenda juxta arq; venera-  
biliter ornanda.* Itane luctus luctu truditur, vulneraq; cu-  
mulantur vulneribus, quæ tantò acerbius ac vehementi-  
us infliguntur, quantò se latius porrigit illustrissimus splē-  
dor domus Saxonica, inq; tot infinitas fermè provincias,  
quarum omnium inter est, diffunditur. Haud dispar lu-  
ctus genus quod in communi antea Patre, Nutritio ac Ele-  
ctore regiones oppresserat, & tantum non enervarat, tam  
subitò ingruit rursus, gravissimeq; affligit obitu benignis-  
simæ Matris, quas erectas solatio per Eandem, ope & auxi-  
lio stabilitas firmiter oportuisset. Parum abest quin Saxo-  
nia tam gemino funere seipsam efferre incipiat. Cartha-  
ginensium cives in publica clade Urbis mœnia a terrimis  
pannis vestire consuevissent, testatissimum literis est, neque  
eos tum temporis hoc lugendi genus neglexisse, ubi in-  
structissima classis aliquando contra Agathoclem missa  
in Siculo mari naufragio perierat Diodorus author gra-  
vissimus commemorat. Quos autem nos vestiemus mu-  
ros, cum ceciderint nostri, & causa planctus impræsentia-  
rum sit eorundem ruina? Nobis enim jure meritò usur-  
pandum hîc est, quod olim Q. Metellus, cuiâ devictâ &  
subjugatâ Macedoniâ novum comparatum erat nomen,  
cum interentum Scipionem Africanum conclamari au-  
disset,

disset, in publicum se proripiens, mœstoq; vultu & voce  
confusâ dixisse proditur: *Concurrite, concurrite cives mæ-*  
*nia Urbis nostræ eversa sunt.* Idem deinde filiis suis, quos  
quatuor generosæ indolis ac singularis virtutibus dicitur  
habuisse, indixit ac præcepit, ut ferali ejus lecto humeros  
subicerent, atq; huic exequiarum illum honorem vocis  
adjecit: *Non fore, ut postea id officium ab illis viro majori præ-*  
*stari possit.* Longè excellentiores atq; prorsus divinæ do-  
ctes fuerunt in *Electorissa* incomparabili, beatissima tamen,  
quas Eandem, & ipso Scipione, vel solius Christiani nomi-  
nis splendore & piissimo in suos affectu, longè maiorem,  
omni ex parte post decessum circumferre, quotusquisque  
non existimabit? Non surgit Macedonicus, non conque-  
ritur unus; sed omnes & universi adsunt, imi & summi,  
nobiles æquè atque ignobiles, diversis diversa non diver-  
sus suppeditat dolor. Hi delitias Aulae Saxonicae, quin i-  
mò totius Europæ interiisse clamitant, Ecclesiae, Religio-  
nis, Exulum cessisse columnen, alii pauperum & egenorum  
præsidium esse dejectum, tot alumnorum, tot viduarum  
Nutricem extinctam; alii decus & maximum Patriæ or-  
namentum, illam tot divinorum Heroum & Principum  
immortali laude dignissimam Matrem, fidelissimam cu-  
stodem ac conservatricem familiae alii desiderant, Marpe-  
siam caute dixerò, si cujus animus reputando, qualem,  
quantamq; amiserimus Dominam, non commoveri ve-  
lit, nō gemitibus nō lacrymis eisq; largiter profusis aliisq;  
luculentis documentis pietatē suam, tum patriæ, tum præ-  
cipuè Serenissimis Celsissimisq; Principibus doloris acer-  
bitate immane quantū confusis ac prostratis, abunde pro-  
bare. Eat in omnium Imperatorum Regum ac Princi-  
pum palatia inque oculos tam admirabile exemplum &

memoriâ sempiternâ dignû, MAGDALENA SIBYLLA,  
Brandenburgica, & illustri de stirpe satorum admoneat, alia ra-  
tione admiratores sui invenire neminem posse, nisi lau-  
datissima vestigia à se jam tum signata sequi, animum in-  
duxerit. Quod si inter sacros authores, quos antiquitas  
nobis commendavit vix cuiquam postponendus Hiero-  
nymus, in suis, quas edidit, Epistolis, unam quoq; ad Eu-  
stochium, Principem, uti videtur, Virginem, scriptam  
extare voluit, quâ sanctissimæ foeminæ Matris *Paulle* vi-  
tam, virtutesq; eximias, quasi in brevi tabula expressas &  
delineatas proposuit: *Si cuncta*, inquit, *corporis mei*  
*membra verterentur in linguas, & omnes artus humanâ*  
*voce resonarent, nihil dignum sanctæ ac venerabilis Paulle*  
*virtutibus dicerem*: quanto rectius & laudabilius unus-  
quisq; literatorum fecerit, si pro meritis ingentibus, nul-  
lius unquam voce satis exprimendas tum animi, tum cor-  
poris dotes, maxima illa decora, quæ non in *Paulle* aliqua,  
sed in Serenissimâ Principe effulserunt, pro virili annita-  
tur deprædicare. Non præter rem fore, nec quenquam  
id mihi vitio versurum puto, si quæ porrò habet *B. Hierony-*  
*mus* egregia, huc transcribere & ad præsens negotium re-  
ferre laborem: Alii, *pergit*, altius repetant, & à Cuna-  
bulis eius, ipsisq; (ut ita dicam) crepundiis. Matrem *Ble-*  
*stillam* & *Rogatum* proferant Patrem; quorum altera  
*Scipionum*, *Gracchorum*que progenies est: alter per  
omnes ferè Græcias usque hodie, stemmatibus & divi-  
tiis in nobilitate *Agamemnonis* fertur sanguinem tra-  
here, qui decennali *Trojam* obsidione delevit, &c.  
Postquam vir (*Troxotius*) mortuus est; ita cum plan-  
xit, ut propè ipsa moreretur &c. Quid ego referam:  
am-



amplæ & nobilis domus, & quondam opulentissimæ, omnes penè divitias in pauperes erogatus? Quid in cunctos clementissimum animum, & bonitatem etiam in eos, quos nunquam viderat evagantem? Quis inopum moriens non illius vestimentis obvolutus est? Quis clinicorum non ejus facultatibus sustentatus est? Quos curiosissimè totâ urbe perquirens, damnum putabat, si quisquam debilis & esuriens cibo sustentaretur alterius. Spoliabat filios, & inter objurgantes propinquos, majorem se eis hæreditatem, Christi misericordiam, dimittere loquebatur, &c. Quid hac virtute mirabilius, foeminam nobilissimæ familiæ, magnis quondam opibus: tantâ fide omnia dilargitam: ut ad egestatem penè ultimam perveniret? Jactent alii pecunias, & in corbonam Dei æra congesta, funalibusque aureis dona pendentia. Nemo plus dedit pauperibus, quam quæ sibi nihil reservavit. Nunc illa divitiis fruitur, & his bonis: quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Nostram vicem dolemus, & invidere potius gloriæ ejus videmur, si volumus diutius flere regnantem. Non mœremus, quod talem amisimus: sed gratias agimus, quod habuimus, imò habemus. Deo enim vivunt omnia, & quicquid revertitur ad Dominum, in familiæ numero computatur. Quamvis eximia prorsus hæc atque rara omnia, ut absolutum prope muliebris sexus exemplum in religiosa admodum & sancta Paulla veneremur non immerito, ejusque elogium non sine admiratione & quodam animi motu agnoscamus: Quamvis nec partim laudis habeat in fumosis imaginibus, ut & felicitatis ex patria, genereque, matrimonio, honore ac dignitate: Quamvis & ab omnibus, quibus

bus profuerat suâ operâ, celebretur mirificè, inque ore  
omnium versetur; tot tamen in eam aut tam maxima  
minus confluebant, quanta, si paullo pensitemus accura-  
tius, beatissima Electorissa nostra cum maximo modo pos-  
sedit. Jactet illa Agamemnonem & Scipionem majores:  
Nostra producet Albertum fortissimum Achillem Ger-  
manicum, & infinitos longa serie Heroas eosque planè  
divinos, ex quibus originem duxit & ipsa Heroina, deditq;  
perro Principes alios summis maximisque dotibus stu-  
pendos, quorum celsissima nomina famæ præconio in to-  
to terrarum orbe decantatissima circumferuntur. Illa  
præsidium egenorum & pauperum nominanda erat, eaq;  
propter mirum in modum desiderabatur, quod miseri-  
cors ac benefica fuerat in omne miserorum genus: No-  
stra talis tantusque murus fuit, qui non paucissimos, sed u-  
niversos & singulos sinceræ religioni addictos, in opesque  
præstaret securos, incolumes & salvos adversus quoslibet  
contra consistentes & prævalidos impugnantium furores.  
Sed, proh dolor! hunc ipsum murum, hoc firmissimum  
columen & fulcrum, in quo veluti capita ac fortunæ singu-  
lorum innitebantur violenta quasi mortis vi eversum at-  
que subrutum quis est, qui non deploret? In reliquam æ-  
dium molem licet vehementior procella impetum faciat  
tabulasque corripiat ac dissipet, tantum damni vix dede-  
rit, quin adhuc ex parte, vel maximè exiguâ civitas tueri  
nomen suum possit, modò non sint sedibus emoti muri,  
aut disturbata propugnacula, aut vacillent ædificiorum  
crura. Quid quæso aliud sunt ac regionum Ecclesiæque  
fundamenta pariter atque præsidia Prudentissimi Princi-  
pes, unde nihil non egregii, nihil non roboris & salutis sibi  
pol-

polliceantur, quicunque talibus parent. Quibus labantibus aut planè subtractis, imploranda mature est, exorandaque Dei benignitas, ut pro paterno affectu respicere nos subito, vacillantisque patriæ res fulcire ipse atque stabilire dignetur, nec cæteras & adhuc stantes columnas disjiciat. Hoc non exiguo nobis est solatio, quod quemadmodum Electorissa laudatissima non excessit prorsus, sed in celsissimis filiis in aginem vivam relinquendo ostendit, se non tam obiisse, quàm adhuc superstitem spirare ac superesse, in tot eximiis dotibus, quibus nituit semper, inque illo tam insigni in miseros & egenos studio; ita præcipuè, quod quasi hæreditario bono hæc omnia transferint cum cæteris thesauris ad Celsissimam prolem, modernamque Patriæ matrem, alteram illam MAGDALENAM SIBYLLAM, Domini JOHANNIS GEORGII II. Electoris Potentis, Serenissimam Conjugem, ac incomparabilem Heroinam, in quibus universis adhuc Illa apud nos certissimè commoratur. Non ergò spes omnis decollata est, non omne & tantum quidem Saxonix lumen prorsus extinctum. Fuerunt hæctenus, qui memoriam tantæ Principis alio loco celebrarunt ex merito, habueruntque reverenter; Nobis in Scholæ palæstra, quo pacto piam pariter ac debitam Serenissimo Electori, Ejusque Illustrissimis Fratribus, Dominis nostris clementissimis, totique ad eò domui Saxonix *συμπάθειαν*, ut par est subditis, humillimè declaramus, non est, nisi ut vestigia superiorum eminus legamus, cultores Numinum imitaturi, qui licet summa capita attingere nequeant; non desinunt tamen, &

B

mora



mortali quantumvis manu Eorum pulvinaria sibi ex-  
osculanda petunt. Prodibunt ergò è medio aliquot ju-  
venes pro virili id conaturi, non temeritate quâdam,  
sed pietate potius adducti, ut non tam laudes divinæ E-  
lectorissæ commemorent, quibus se omninò non esse  
fatentur ultrò, quàm ut miserandum patriæ fatum cle-  
mentissimo DEO authori seriò commendent, quo re-  
spiciat tandem Eam benignior, ut post tot fortunarum  
ruinas, tot capitum obitus, pacatiori in statu facta  
atque recta permaneat res communis, & salvus honor  
constet puræ religioni ac singulorum juxta omniumq;  
saluti, imprimis etiam incolumis & inconcussa floreat  
perpetuò Domus Saxonica cum maximo Electore Do-  
mino ac Patriæ Patre venerando, cumque Celsissima  
Ejus conjugè, ac Illustrissima sobole, à quibus omne,  
quod triste ac dirum est, avertat profligetque longius  
misericordissimus pater, & seris nepotibus post longè  
ventura secula continuam felicitatis seriem concin-  
net. Ut itaq; votis vota jungantur, non deerunt Do-  
mini Patroni & quoscunque & memoria & desideri-  
um compositæ jam Principis beatissimæ movet, die cra-  
stino, & sequenti, frequenter convenire in consueto  
Scholæacroaterio auscultaturi quantis bonis Illius o-  
bitu exciderimus, ut magis solliciti simus de iisdem im-  
posterum recuperandis. S. Torgæ. d. 8. Maij A.C.  
M. DC. LIX.

No:

*Nomina Discipulorum, qui  
prodibunt.*

- I. CHRISTIANUS FRIDERICUS JANUS, Lichten-  
burgensis, Græco idiomate conscriptam Electo-  
rissæ vitam exponet, odeq; Pindaricâ finiet.
- II. JOHANNES FRIDERICUS FISCHERUS, Illebur-  
gensis Pietatem Illius unicè ostendet.
- III. TOBIAS Pflugmacher / Lucca-Lusatus Latino  
carmine Elogium Beatissimæ prosequetur.
- IV. GEORGIUS GODTFRIED ECCARDUS, Jese-  
nensis antiquissimam Prosapiam latine recolet.
- V. CHRISTIANUS Messerschmidt / Torgensis Græ-  
co Carmine lugentem patriam, solabitur.

**F I N I S.**



Memoria Disputationum

praesentium

I. CHRISTIANUS FRIDERICUS JANUS Lichten

burgensis, (Grecologiae) conscriptionem Eicco

the vlam exponens ad Patris Jani

II. JOHANNES FRIDERICUS FISCHERUS, Deber

gensis Pictorem illius nasci ostendit

III. THOMAS DÜRNBERGER, Jurae Juris Janus

carminum Reginae in Bohemiae tractationem

IV. GEORGIVS GOETTERVS BOGARDVS, Jole

rebus arabicis in Latinum scriptis

V. CHRISTIANUS PETERSENIVS, Torquatus Grae

co Carminibus in Latinum scriptis

F I N I S



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,

VD17  
Sep. 2000 Pd.









74

*J.*  
**Laudationes**

ores  
*tores atq; omnes in uni-*  
*atos prolixo studio*  
*tat*

rg. Rector.

**S Reichmann!**  
of Witteb.  
Adj.

---

**ERGÆ,**  
**INIS HAKEN.**